Q. D. B. V.

DISSERTATIO HISTORICA,

De

ORIGINE CONTROVERSIÆ CIRCA HÆRETICOS REBAPTIZANDOS OLIM MOTÆ,

Quam

GONSENSU

Inclytæ, Amplissimæq; Facultatis Philosophicæ

PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI

IN ACADEMIA LIPSIENSI,

D. 8. Maji, M. DC. LXXXIX.

submittunt

PRÆSES

M. JOHANNES TOBIAS Gutbier/
Weissensehâ-Thur. SS. Theol. Stud.

& RESPONDENS

JOHANNES MATTHIAS Rebe/
Ossitiens. Misnic. SS. Theologiæ Stud.
Alumni Electorales,

H. L. Q. C.

Typis JOH. CHRISTOPH. BRANDENBURGERI.

Ad Candidum Lectorem.

HIſtoriam de Controverſia Rebaptizationis ex antiqvis Scriptorum monumentis eruendam deſtinavimus, ſed qvæ dubiis ac difficultatibus haud exiguis premitur. Qvæ ſi paulo accuratius inqviras; duæ imprimis cauſæ illorum deprehenduntur; nimirum *præjudicia Scriptorum*, & *Patrum contradictiones*. Qvotqvot enim ferme hâc in materiâ deſudârunt hactenus, partim præconceptas ad eam opiniones attulerunt, qvibus Romanenſes præcipuè Scriptores obnoxii ſunt; qvippe qvi hiſtoriam hanc, ſudem velut in oculis, vix tolerantes, nihil non agunt, ut rem aliàs obſcuram, obſcurioribus adhuc tenebris involvant, ut alios taceamus, qvi paſſim in Diſputatione noſtra notabuntur. Hinc evenit, ut multi autores hoſce duces ſecuti, cum iis non ſatis cauti ſæpe in errorem inducti fuerint. Alios etiam Autores offendimus, qvi pugnas tot Patrum, totqve Canonum advertentes, judicia ſua, qvod mireris, ſuſpendere non dubitârunt, in dubia Lectorem admiratione relinquentes. Qvæ profectò, ſi paulo penitius à nobis penſitantur, ſufficere poſſent omnino, ut ab hoc auſu abſtineremus. Enimverò veritatis & Hiſtoriæ Sacræ, qvo ſingulari ferimur, ſtudium excitare nos haud deſtitit, ut inveſtigatâ cognitâqve, qvantum ingenii permiſit tenuitas, veritate, ad argumentum hoc non adeo tutum nos accingeremus. In qvo multa licet ab accurato abludere ingenio Erudito Lectori videbuntur: ætati tamen noſtræ, qvæ veniam ſibi pollicetur, facilè ignoſcet. Unicum adhuc eſt qvod non poſſumus Lectorem non præmonere, ne in materia hâc noſtrâ diſcuſſionem qvæſtionum Theologicarum, aut judicia Theologica fortaſſis expectet. Illa enim Theologis relicturi, nihil niſi, qvod hiſtoriam mo-

 mo-

monumenta suppeditabunt, polliceri hâc vice constituimus. Nec est, cur hâc in qvæstione aliqvis judicia sententiasqve Theologicas â nobis reqvirat. Huic enim desiderio ex asse jam satisfecit *Dissertatio Inauguralis*, qvam sub Præsidio Magnifici nostri Dn. D. OLEARII, Vir qvidam Juvenis, Per-qvam Reverendus *de Sociniano Rebaptizando*, in lucem publicam haud ita pridem emisit. Nunc ad ipsam historiam enarrandam progrediemur, qvam tribus Sectionibus absolvemus, qvarum 1.) *Originem*, 2.) *Progressum*, 3.) *Eventum* explicabit. Qvarum singulæ singulam destinare Dissertationem, historiæ prolixitas jubet.

SECTIO I.

De ORIGINE HUJUS CONTROVERSIÆ.

SUMMARIA.

Ad Originem referuntur Autores & Occasio. §. I. I. AUTORES *dividuntur 1.) ratione sententiarum in propugnatores & impugnatores anabaptismi, illi dispescuntur in inventores & propagatores.* §. 2. *Inter inventores numerantur* a) *Tertullianus, cujus sententiam malè detorqvet Ludovicus de la Cerda* §. 3. & 4. β) *Agrippinus* §. 5. *Ubi occurritur dubio, cur ad solum Agrippinum provocaverit Cyprianus.* §. 6. & 7. *In dubio verò relinqvitur, uter horum primus autor sit statuendus.* §. 8. *Propagatores sunt* a) *Cyprianus, sub qvo renovata est controversia.* §. 10. *Ejus sententia* a) *proponitur* §. 12. b) *diducitur explicando* ℵ) *Subjectum, hæreticos & schismaticos.* §. 13. 14. 15. 16. 17. ב) *Prædicatum, rebaptizationem:* §. 18. 19. 20. 21. β) *Firmilianus, cujus sententia probatur*, §. 22. *eumq; priorem Cypriano docuisse rebaptizationem evincitur*, §. 23. γ) *Dionysius Alexandrinus.* §. 24. 2.) *Ex Impugnatoribus Stephanus, Rom. Episcopus eminet, cujus Universalis Propositio partim proponitur*, §. 25. *partim defenditur.* §. 26. 27. 28. II. OCCASIO, *qvæ data est Autoribus memoratis* a) *Agrippino & Tertulliano*, §. 29. β) *Cypriano, ubi* a.) *removetur falsa æmulatio scil. à Novatianensibus suppeditata.* §. 30. 31. b.) *vera firmatur*, §. 32. γ) *Firmiliano*, §. 33. δ) *Dionysio Alexandrino*, §. 33.

AD Originem hujus Controversiæ excutiendam observari omninò debent, tum *Autores*, tum etiam *Occasio*.

§. 2. *Autores* commodè dispesci possunt *ratione diversarum sententiarum*, in *Propugnatores* & *Impugnatores* Dogmatis de Rebaptizatione. Illi rursus dividuntur in eos, qvi *primi Inventores* fuerunt, & qvi ab illis inventum dogma *renovârunt*, renovatumqꝫ propagarunt. Deinde possumus etiam hos ratione *loci* distingvere, ut *in meridie* alios, alios *in oriente* qværamus.

§. 3. In priori classe, qvi *Inventores* prædicantur, numerantur præcipui Tertullianus & Agrippinus, unà eademqve ætate, juxta communem Chronologorum sententiam Carthaginensis Ecclesiæ curam gerentes: Qvorum *ille in Libro de Baptismo Cap. XV.* docet: *Unus omninò Baptismus est nobis: tàm ex Domini Evangelio, qvàm ex Apostoli literis: Qvoniam unus Dominus, & unum Baptisma, & una Ecclesia in Cœlis. Sed circa Hæreticos sanè, qvid custodiendum sit, digne quis retractet? Ad nos enim editum est. Hæretici autem nullum consortium habent nostræ disciplinæ, qvos extraneos utiqve testatur ipsa ademtio Communicationis. Non debeo in illis cognoscere, qvod mihi est præceptum, qvia non idem Deus est nobis & illis; nec unus Christus, i. e. idem: ideoqꝫ nec baptismus unus: qvem cum ritè non habeant, sine dubio non habent. Nec capit numerari qvod non habetur ita, nec possunt accipere, qvia non habent.* Qvæ verba, licet prolixiora omnia tamen adducenda duximus, qvia Commentator ejus Ludovicus de la Cerda, Tertull. ab hac sententia liberaturus, alium his verbis sensum affingit in notis ad hunc locum: *Puta hic*, inqviens, *definire Autorem, unum baptisma in Ecclesia ob Hæresin præcipuè Montani & Cataphrygum, qvi rebaptizabant, si qvos seduxerint, & supra baptismum Ecclesiæ Catholicæ suum prædicabant, ut refert præcipue Philastrius. Contra hos forsitan Tertullianus docuit, non esse nobis ac illis eundem baptismum, neqve ad illos editum fuisse & præscriptum de unico Baptismo, & non mirum qvod retingant.*

§. 4. In his igitur, & qvæ loco jam citato seqvuntur, verbis, Ludovicus de la Cerda fingit, Tertullianum nihil aliud hìc agere, qvàm ut unitatem baptismi contra rebaptizantes hæreticos obtineret: Tantum vero abesse, ut ipsos hæreticos rebaptizandos esse assereret. Si enim Rebaptizationem taxaret in hæreticis: qvomodo eam in

Ecclesia pobare atqve urgere posset? utpote ad qvam unitatis, præceptum tantùm sit editum, ad hæreticos autem istud non spectat. Qvare nec mirandum, si rebaptizarent. Enimverò respondemus, Laudatum modò Ludovicum partem saltim verborum Tertulliani assumere. Concedimus enim omninò, Tertullianum ita *rationem baptismi, ritè in Ecclesia sinu administrati damnare* effato Pauli *Ephes. IV, 4. 5.* atqve hæreticorum Exemplis non imitandis. In hâc verò doctrina non subsistit. Ut enim hæreticorum vanam Rebaptizationem eò fortiùs infringat, insimul qvoq; omnem eorum baptismum rejicit, in his præsertim verbis: *qvia non idem Deus est nobis & illis, nec unus Christus, i. e. idem; ideoqve nec baptismus unus: qvem cùm ritè non habeant, sine dubio non habent. Nec capit numerari qvod non habetur, ita nec possunt accipere, qvod non habent.* Qvibus verbis qvid manifestiùs prodere mentem Tertulliani à nobis expressam possit? Licet igitur non *primariò* hæreticorum baptismum impugnarit; istud tamen *secundariò* fecit. Nec nos qvicqvam movet ejusde unitate baptismi assertio. Nam & Cyprianus acerrimus ejusdem unitatis defensor fuit. Verùm qvo sensu, infrà, cum, Cypriani sententia nobis enucleanda veniet ostensuri sumus. Qvare nulla est conseqventia: Tertullianus unitatem baptismi propugnat, Ergò transeuntes ab hæreticis ad Ecclesiam nostram cum baptismi collatione recipiendos negat.

§. 5. De *Agrippino*, Episcopo Carthaninensi, &, ut Facuundus, Hermianensis Episcop. *Lib. X. C. 3.* tradit, Cypriani Prædecessore, testis adest ipse Cyprianus, *in Epist. 71.* Edit. Anglicæ ad Qvintum datâ. Nam: *qvod* (dogma intellige de Rebaptizatione, de qvo jam in antecedentibus egerat,) *qvidem*, inqvit, *& Agrippinus bonæ memoriæ Vir cum cæteris CoEpiscopis suis, qvi illo tempore, in Provincia Africa, & Numidia Eccles. Domini gubernabant, statuit, & librato consilii communi Examine firmavit.* Nec non *in Epist. LXXIII.* ad Jubajanum scribit: *apud nos non nova, aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos, qvi ab hæreticis ad Ecclesiam veniunt, qvando multi jam anni sint, & longa ætas, ex qvo sub Agrippino, bonæ Memoriæ Viro, convenientes in unum Episcopi plurimi hoc statuerunt.* Ut omittam hic *Augustinum Lib. 2.* de Baptismo contra Donatistas *Cap. 7.* item Vincentium Lirinensem in *Commonitorio I. Cap. 9.* Qvorum verba & citata vide in Natali Alex. *Hist. Eccles.*

Eccles. Sect. III. Part. I. C. 3. Art. 5. §. 1. Obiter tamen adhuc notari hîc meretur dubium, qvod Augustini verba *Lib. IV. contra Donatistas, Cap. 6.* lecturo posset occurrere; ubi, qvod tempus Cyprianus *multos annos & longam ætatem* dixerat, *paucos* hic *annos* vocat. Verùm hæc minimè pugnant. Nam uti Gerhard. Joh. Vossius *Disputatione XIX. de Baptismo, Thes. 2.* respondet, *breve & longum, magnum & parvum sunt ex iis, qvæ comparatione variant.* Augustinus igitur in comparatione *longævæ traditionis* breve dixit hoc spatium, (qvod secundum communem Chronologorum sententiam 40. annorum fuit) Cyprianus verò *in sensu absoluto* istud consideravit. Conf. Rigaltium & Johannem Fellum, Oxoniensem Episcopum *in notis ad locum citat. Cypriani.*

§. 6. Licet autem *uterq;* Baptismi valorem Hæreticis manifestè denegaverit; solum tamen Agrippinum, tanqvam unicum istius dogmatis Autorem Cyprianus Renovator atqve Propagator adducit. Rationes non difficulter suppeditari possunt: qvoniam scil. si autem *in idem tempus* ætatem eorum incidisse, cum Vossio *loc. cit. Thes. 1.* statuamus, Agrippinus Episcopus Primarius Carthaginensis fuit, Tertulliano tantum Clerici personam gerente. Præstabat omninò illius personam huic præferre: Cumq; scilicet plurimorum Episcoporum atqve Clericorum, qvorum numerum & Tertullianus implebat, in unum convenientium sententias allegasset, qvid opus erat, Tertulliani, in hoc numero jam inclusi, nomen iterum producere? Sin verò *præcessit* Agrippinum Tertullianus; hæc valet ratio, qvod Cypriani mens fuerit, non singulares, deqve judiciô privatô depromtas sententias, sed publicâ potius autoritate corroboratas adducere, iisq; dogma suum stabilire.

§. 7. Neqve tamen peccaverimus, si *Baronio, Tom. 2. annal. ad A. C. 217. num. 5. 6.* conjectanti assentiamur, qvod videlicet à Tertulliano potius, qvàm ab Agrippino hanc opinionem Cyprianus hauserit, qvippe cujus Scripta tantopere admiratus sit divus Pater, ut eum *κατ' ἐξοχὴν*, *Magistrum* vocare non dubitaverit. Nam sicut Hieronymus in *Lib. de Script. Eccl. s. st.* refert, nunqvam Cypriano absqve Tertulliani Lectione vel unicum diem præteriisse, ac crebro dixisse: DA MAGISTRUM, Tertullianum indigitans. Placuisse tamen, censet *Baron. loc. cit.* Cypriano, ut supprimeretur Tertulliani

ni nomen, qvod hæreſeos nomine infamatum fuerit, adeoqve putaverit indignum, nec non periculoſum, eundem in defenſionem accerſere teſtem, vel potius ſic demonſtrare opinionis autorem. Veruntamen, cum firma nuſpiam hac de re veſtigia nobis appareant, nec etiam de Agrippini ætate certi qvid conſtet; hanc rationem, ipſo Baronio conſentiente, dubiam relinqvimus.

§. 8. Nec minus etiam incertum eſt utrum Tertullianus ab Agrippino, an verò hic ab illo dogma hoc hauſerit. In priorem ſententiam inclinat Baronius *Tom. 2, ad A. C. loc. cit.* qvam eruere conatur ex his Tertulliani verbis: *ad nos enim editum eſt.* Qvaſi ſcil. ab Epiſcopo primario Agrippino decretum ad eum ſit editum. Verùm hæc „verba, Voſſio, *loc. cit.* notante, hoc volunt: ad Catholicorum diſci„plinam pertinet Baptiſmus, ſeu nobis Catholicis eſt præceptus, ſc. „*à Spiritu S. & in Evangelio Domini*, (ſicut ſuprà dixerat Tertullianus) „ non ad hæreticos. Cujus & hanc rationem ſubjungit: *hæretici enim* „ *nullum habent conſortium noſtra diſciplina.* Ad II. ſententiã propendet *Chriſtianus Lupus*, qvi, referente Emanuele Schelſtrateno *Antiqvit. illuſtr Part. 2. Diſſert. 1. C. 5, art. 1. § 52.* ſcribit: Tertullianum tunc Carthaginenſem Clericum in cauſa fuiſſe, qvod Epiſcopus ejus Agrippinus in Carthaginenſi Concilio Hæreticorum baptiſma exſufflaverit. Verùm cum utraqve meris nitatur conjecturis nihil hîc certi definiri poterit. Et licet dentur nonnulli, qvi poſteriorem ſententiam exinde conentur infringere, qvod, ſi Agrippinus hoc dogma à Tertulliano deſumſiſſe aſſeratur, ſtatuatur etiam, iſtud à Spiritu Montani hauſtum fuiſſe; qvia de ipſo exploratum omninò ſit, eum in ultima ætate in Montani errorem abreptum fuiſſe: Falſa tamen eſt eorum opinio. Scripſit enim Tertullianus hunc Librum adverſus Qvintillam, ut conſtat ex *Cap. I.* qvæ erat una ex 3. Propheriſſis Montani, qvod videre eſt in Epiphanio, *Hæreſi 49.* Auguſtino, *Hæreſi 27.* Damaſceno *de Hær.* & ex iis ap. Voſſium *loc. cit.* Adeoqve manifeſtum eſt Tertullianum hanc ſententiam puriori adhuc doctrinæ addictum foviſſe, neqve exinde illius Autoritati vel qvicqvam decedere.

§. 9. Certi jam igitur de Autoribus hujus Controverſiæ primis, nunc qvoqve ad Propagatores perrecturi ſumus. Hos vero ſuprà jam diverſos *loci* ratione notavimus, alios in *Meridie*, in *Oriente* alios ponentes.

§. 10.

§. 10. In Meridie eminet *Cæcilius Cyprianus Thascius* aliàs dictus, Carthaginensis Episcopus, qvi ex Gentili Christianus, ope Cæcilii Carthaginensis Presbyteri factus est: (unde Cæcilii nomen additum illi Cypriani. Vid. Dn.D. OLEAR. *in Abaco Patrol. sub nomine Cypriani*, it. Spanheim. *in Introduct. ad Hist. Nov. Test. Tom. I. Sect. 3. Cap. 10. p. 333.*) cujus etiam laudes eleganti Oratione *Pontius ipsius Diaconus* pertexit: accuratissimè verò vitam ipsius descripsit *Johannes Cestriensis*, in *Annal. Cyprianicis*, qvos Johannes Oxoniensis operibus Cypriani præfixit. Primus autem ipse fuit, qvi dogma hoc paulatim in Africa obsolescens in integrum qvasi restituere conatus est, tempore sc. Stephani, non verò (cujus erroris *Eusebium Lib. 2. Cap. 3.* Gerhardus Johannes Vossius *Diss. XIX. Th. 14. de Baptismo*, & alii accusant) primus omnium Autor introducere voluit. Qvod accuratè Johannes Cestriensis in *Annal. Cyprianicis, A.C. 256. num. 6.* ex unica particula τῶν observat. Nam Eusebii verba sic fluunt: Πρῶτος τῶν τότε Κυπριανὸς τῆς κατὰ Καρχηδόνα παροικίας ποιμὴν, οὐδ' ἄλλως, ἢ διὰ λουτροῦ πρότερον τῆς πλάνης ἐκκαθηραμένους προσίεσθαι δεῖν ἡγεῖτο. Qvod optimè sic versum dicit: *Primus omnium eâ tempestate Cyprianus, Carthaginensis Episcopus, hæreticos non nisi per baptismum ab errore prius purgatos admittendos esse censuit.* Constituit itaqve Eusebius Cyprianum hujus Dogmatis Autorem *non absolutè* primum, *sed in sensu restrictivo*, à tempore desumtâ restrictione, qvod erat Stephani, Rom. Pontificis tempus, de qvo jam in antecedentibus ipsi sermo fuerat. Hujus temporis respectu Cyprianus omninò primus Autor habendus erat; qvippe qvi primus sedente Stephano hanc Controversiam iterum excitaverat. Verùm hic error Autoribus modò citatis, ex malâ particulæ τῶν positione provenit. Omnes enim interpretes, inter qvos & *Henricus Valesius* in *notis ad Eusebium* reperitur, eam, *ad Subjectum*, non autem *ad Prædicatum* retulerunt sic vertentes: *Primus omnium Cyprianus, qvi tunc temporis Carthaginensem regebat Ecclesiam &c.* Cum tamen sic reddere debuissent. *Cyprianus, qvi Carthaginensem regebat Ecclesiam primus eorum, qvi tunc temporis extiterunt* &c. Vid. *Annal. Cypr. loc. cit.*

§. 11. Qvibus ritè observatis, omnes evanescunt difficultates, qvæ ex hoc Eusebii loco multis enatæ fuerunt; eorum qvoqve opinio exinde facilè refutari potest, qvi Exordium hujus Contro-

versiæ à Cypriano renovatæ; ad Cornelii Papæ, Stephani Prædeces-soris sedem retrahere non dubitant. Qvam posteriorem qvæstionem vid. discussam à Ruelio, in *Concil. illustr. T. I. Peric. 3. Syll. 27 p. 76. usqve ad 69.* it. Baron. *Tom. 2. annal. ad A. C. 258. num. 19.* qvi Ruffinum hâc in Qvæstione contrarium refutat. Cujus erroris etiam qvendam Davidem accusat Johannes Launojus, Doctor Parisiensis, *in Tractatu suo Gallico, qvem, inscribit: Examen de La Preface & de la Reponse de Monsier David aux Remarques sur la Dissertation du Concile Plenier. pag.* 14. 15.

§. 12. Rejecisse autem Cyprianum hæreticorum omnium baptisma, ex V. ipsius Epistolis, qvæ secundum Dispositionem Johannis Oxoniensis *à 69. usqve ad 74.* extenduntur, nec non ex actis tertii Concilii Carthaginensis, de hac qvæstione habiti, qvæ posteriora operibus Cypriani inserta inveniuntur, sole clarius patescit. Qvæ verò integra hîc recensere supervacaneum esse arbitramur, qvoniam infrà in *Sect. II. C. I.* argumenta ex illis excerpta allaturi sumus.

§ 13. Sed qvænam genuina Cypriani sententia fuerit, qvâ totius hujus Controversiæ inter ipsum & Stephanum agitatæ status innitatur, ulteriori deductione opus habet. Qvod præstare poterimus, si in hac Cypriani Propositione: *Omnes haeretici & Schismatici sunt baptizandi,* oculos conjiciemus 1.) *ad Subjectum.* 2.) *Prædicatum.*

§. 14. Varius omninò sensus vocabulorum *Hæretici* atqve *Schismatici* in Historia Ecclesiæ primitivæ reperitur; alii siqvidè Patres eos pro *æqvipollentibus* habent, alii discrimen ponunt in *dunctione*, *aliter* alii, de qvibus prolixè jam differere propositi nostri ratio non permittit. Explebunt qvoad hanc materiam cupidi Lectoris desideria *Suicerus* in *Thesauro Theolog. sub Voc. Hæreticus & Schismaticus.* it. Danæus in *Augustini Librum ad Qvod vult Deum, de Hæresibus, in Prolegom.:* De Hæreticis verò in specie B. Calov. *System. Tom. IIX. artic. III. Cap. X.* nec non Voëtius, in *Part. III. Disp. Select.* qvi novem Disputationibus accuratè Hæresin pertractavit.

§. 15. Nobis jam sufficiet Cypriani mentem circa hæreticorum atqve schismaticorum nomina indagare, qvônam videlicet sensu utrosqve sumpserit. Invenimus autem hæreticos idem ipsi esse,

 ac

ac Antitrinitarios hæreticos, ſchiſmaticos verò *Non-Antitrinitariis æ*qvipollere. Hoc autem exinde deducimus, 1.) qvia hæreticos in epiſtolis ſuis nominans, nullos adducit alios, qvàm Antitrinitarios. e. gr. in *ep. 73. ad Jubajanum* *Si eundem*, inqvit, *Patrem, eundem filium, eundem Spiritum Sanctum, eandem Eccleſiam confitentur nobiscum Patripaſſiani, Anthropiani, Valentiniani, Apelletiani, Ophitæ, Marcionitæ, & ceteræ hæreticorum peſtes, & gladiis ac venenis ſubvertentes veritatem: poteſt illic & baptiſmus eſſe, ſi eſt & fides una:* it. in *ep.* 74. *ad. Pompejum* & alibi ſub hæreticorum nomine ſemper ſolos Antitrinitarios involvit. 2.) In Schiſmaticorum cauſa ſolos Novatianenſes exempli loco adducit, qvos tamen lapſis pœnitentibus gratiam Dei denegaſſe, in ipſamqve fidei doctrinam impegiſſe, ex ipſius Cypriani epiſtolis luculentiſſimè patet. Accedit 3.) ſi de ſchiſmaticis ſenſu moderno pro errantibus in circumfundamentalibus ipſi ſermo fuiſſet; & Qvarta decimanorum baptiſma rejicere debuiſſet; qvod tamen eum non feciſſe liqvet, qvia Firmilianum & complures Aſiaticos, hujus ſectæ defenſores, in hac controverſia conſociatos habuit. Qvorum certè, ſi baptiſmum rejeciſſet, unionem fraternam ipſum retinuiſſe, nullo modo credibile videri poteſt. Qvamvis poſtea in Concilii Laodiceni Can. 7. & Can. eodem Concilii Conſtantinopolitani Oecumenici II. Novatianis annumerati reperiantur.

§. 16. Horum omnia igitur, tum hæreticorum tum ſchiſmaticorum (qvo ſenſu videlicet à Cypriano & Firmiliano ſumuntur) baptiſma irritum à Cypriano declaratur. *De his* in propatulo res eſt: in integra qvippe *ep. 69. ad Magnum*, qvin & in reliqvis ſparſim epiſtolis eorum baptiſma rejicit, cum baptiſmi legitimi, qvo verâ & una gaudeat Eccleſia, collatione, eos recipiendo. De illis teſtantur reliqvæ Cypriani epiſtolæ, qvando eorum exempla adducuntur, qvi manifeſte Trinitatem negârunt e. g. ex *ep. 73. §. anteced. 15.* citatus locus variorum ejuſmodi hæreticorum baptiſmum damnat. De Marcione verò in ſpecie ibidem. *Nunqvid hanc Trinitatem*, inqvit, *Marcion tenet? nunqvid eundem aſſerit, quem & nos Patrem, creatorem? nunqvid eundem Filium Chriſtum, de Maria Virgine natum, qvi ſermo caro factus eſt &c.* Alios locos in re tam manifeſta ut taceamus, qvam & ipſimet, ſuperſtitioſi alias Patrum defenſores, Pon-

tificii Baronius Schelstratenus Natal. Alexander & omnes reliqvi concedunt.

§. 17. Notanda autem hic qvædam occurrunt tum qvoad hæreticos *baptizantes*, tum *baptizatos*. Ad illorum numerum pertinebant non solummodo ii, qvi, in hæreticorum cœtu nati, baptizarant, sed ii qvoqve Episcopi eò referebantur, qvi ab Ecclesia vera qvondam deficientes in hæretico grege baptizavarant, eorumqve baptisma irritum habebatur. De hoc enim reperimus testimonium in *Ep.* 75. qvam Firmilianus ad Cyprianum scripsit, inter alia hæc ponens verba: *Nos etiam illos, qvos hi, qvi prius in Ecclesia Catholica Episcopi fuerunt, & postmodum sibi potestatem clericæ ordinationis assumentes baptizaverunt, pro non baptizatis habendos judicavimus.*

§. 18. Qvoad hæreticos *baptizatos* cavendum est, ne iis annumeremus hæreticos *apostatas*, qvi Ecclesiâ Catholica qvondam exeuntes, se iterum eidem conjungebant. Hujus enim erroris perperam Cyprianum Nicephorus *Lib. VI. Cap.* 2. accusat. In qvem & fortassis incidit Johannes Pappus, D. & Prof. Theol. Argentin. in *Epit. Hist. Eccles. sub Agrippinianis hæreticis p.* 253. Hos enim expressis verbis ipse Cyprianus *Epist.* 74. *ad Pompejum, sub finem*, exclusit. Postqvam enim omne hæreticorum baptisma rejecerat, hæc subjungebat verba: *Exceptis his, qvi baptizati in Ecclesia prius fuerunt, & sic ad hæreticos transierant. Hos enim oportet, cum redeant, actâ pœnitentiâ, per manus impositionem solum recipi, & in ovile, unde erraverant à Pastore, restitui.* De Episcopis verò & Presbyteris apostatis ad Ecclesiam reversis, hoc insuper notari meretur, qvod Sacerdotali officio per totam vitam privati fuerint. De his Cyprianus in *Epist. Synodali* 72 *ad Stephanum Pontificem Rom.* communi Episcoporum sententiâ decrevit, *eos hâc conditione suscipi, cum revertuntur ut communicent Laici, & satis habeant, qvod admittuntur ad pacem, qvi hostes pacis extiterint, nec debere eos revertentes & apud nos ordinationis & honoris arma retinere, qvibus contra nos rebellaverint*, & qvæ sunt plura, qvæ alteram istius Epistolæ partem constituunt.

§. 19. Mitior tamen Cyprianus in eos fuit, qui jam ante ab hæreticis in Ecclesiam venientes, sine baptismo recepti, & privilegiis Ecclesiæ fruiti erant: eos etiam sine baptismo tolerabat, non denegans ipsis divinam gratiam, Ipse enim *Ep.* 37. *ad Jubajanum* seqventia

scri-

ſcribit: *Sed dicit aliqvis: quid ergo fiet de his, qui in præteritum de hæreſi ad Eccleſiam venientes, ſine baptiſmo admiſſi ſunt? Potens eſt Dominus miſericordiâ ſuâ indulgentiam dare, & eos, qui ad Eccleſiam ſimpliciter admiſſi, in Eccleſiâ dormierunt, ab Eccleſiæ ſuæ muneribus non ſeparare.* Qvod & D. Auguſt. *L. II. de Bapt. contra Donat. c. 13.* teſtatur: *ſed cum arbitraretur, eos, qvi extra Eccleſiæ communionem baptizarentur, baptiſmum non habere credidit; eos tamen in Eccleſiam ſimpliciter admiſſos propter ipſius unitatis vinculum poſſe ad veniam pervenire.* Qvò etiam ſpectat Epiſtola Dionyſii Alexandr. ad Sixtum Papam Stephani ſucceſſorem *apud Euſeb. L. VII. c. 5.* qvi ejusmodi hominem in Eccleſiam ante multos annos ſine baptiſmo receptum baptizare nolebat. De qvo *in Sect. 3.* plura, ubi de revocatione hujus dogmatis nobis agendum erit. Qvamvis Firmilianus ulterius abierit, mortuis ſaltem hanc gratiam DEI largiendo. Adhuc autem viventium baptiſma omnibus modis urgere non deſtitit: Poſtqvam enim priores beatos pronunciaſſet, pergit: *Qvi autem adhuc in ſeculo permanent, baptizentur Eccleſiæ baptiſmo, ut remiſſionem peccatorum conſeqvi poſſint, ne per alienam præſumtionem, in priſtino errore manentes, ſine gratiæ conſumtione moriantur.*

§. 20. Nunc ad prædicatum progrediendum, qvod ita ſe habet. SUNT BAPTIZANDI. *Baptizandos* voluit hæreticos atqve Schiſmaticos *non rebaptizandos*: ipſe ſiqvidem unius baptiſmi tantum confeſſor erat, adeoqvè hæreticorum baptiſma pro vano nulloqve agnoſcebat. Qvamvis enim per aliqvam catachreſin retinere *rebaptizationis nomen* potuiſſet: tamen, qvia inviſum adeo ſemper Patribus fuerat (uti Nat. Alex. *Sec. III. P. I. c. 13. Art. 5. p. 49.* oſtendit, in qvo & conſentientem Baronium *ad An. c. 258. n. 340.* habet, qvi in hujus rei probationem illuſtrem Auguſtini locum *L. II. de Bapt. contra Donatiſt. c. 14.* adducit, ſic ſe habentem. *Qvid ſit autem perniocioſius, utrum omnino non baptizari, an rebaptizari, judicare difficile eſt* &c.) ut ſcandalum infirmiorum, & adverſariorum, multiplicationem baptiſmi ipſi objicientium calumnias (de qvibus *in Epiſtol. 73. ad Jubajan.* ipſe conqveritur ſeqventibus verbis: *& nunc apud qvosdam de noſtris hæreticorum baptiſma occupatum aſſeritur, & invidiâ qvâdam rebaptizandi, baptizare poſt hoſtes DEI nefas ducitur*) evitaret; cum re & nomine ſimul abſtinuit. Hinc nulli-

bi ab eo hanc vocem uſurpatam fuiſſe deprehendemus; niſi de Novatianenſium, utpote extraneorum repetito baptiſmate in eâdem epiſt. tribus vicibus: qvoniam ſciebat, nihil exinde ſcandali de extraneorum, qvi nihil ad Eccleſiam pertinerent, actibus oriturum eſſe; Nec abſtinuit modò iſto nomine, ſed vehementiſſimè qvoqve illud deprecatus eſt. Qvod multis in locis egit, ex qvibus unicum ſaltem, qvi reperitur *in ep.71. ad Qvintum*, adducturi ſumus. Verba ita ſonant: *Nos dicimus, eos, qvi inde* (ab hæreticis) *veniunt non rebaptizari apud nos, ſed baptizari.*

§. 21. Nullo igitur modo rebaptizationem admiſit Cyprianus, aut oppoſitam unitatem baptiſmi impugnavit, licet vel maximè hæreticos baptizaret, ſed potius omnibus eam modis propugnavit. Cum autem unitas baptiſmi duplicem juxta ipſum reſpectum haberet; alterum ad *unitatem actus*, qvod repeti non deberet, alterum ad *unitatem ſubjecti*, nimirum *Eccleſiæ*, qvod unica ſaltem & ſola baptiſmum poſſideret, ideoq; hæreticorum, quippe extraneorum baptiſmum excludebat. *Priorem unitatem* ab adverſariis ſibi denegatam ex *poſteriori* vindicabat, dicendo, ſe non iterare baptiſmum, ſi abs hæreticis tinctos baptizaret: qvia hæreticorum baptiſmum, utpote extra unitatem Eccleſiæ collatum, pro vano nulloque agnoſceret. Id qvod ex multis ipſius locis apparet, qvorum tamen duos ſaltem in medium allaturi ſumus. Prior extat in *Epiſt. ad Qvintum. Neq; enim*, inqvit Cyprianus, *accipiunt illic aliqvid, ubi nihil eſt, ſed veniunt ad nos, ut hic accipiant.* Alter habetur *in Ep.73.* ubi ſic ſcribit: *Hoc idem denuo ſententiâ noſtrâ firmavimus, ſtatuentes, unum baptiſma eſſe, qvod ſit in Eccleſiâ Catholicâ conſtitutum; ac per hoc non rebaptizari, ſed baptizari à nobis. Qvicunq; ergo ab adulterâ & profanâ aqvâ veniunt, abluendi ſunt & ſanctificandi ſalutaris aqvæ veritate.* Hæc igitur poſterior baptiſmi unitas, qvam ex Eccleſiæ unitate menſurabat, inducebat eum, ut hæreticorum baptiſma illegitimum cenſeret. Nam cum ipſi manifeſtum eſſet, hæreticos non eſſe in uninate Eccleſiæ veræ conſtitutos: hinc inferebat, eos nec eſſe in unitate baptiſmi, jam verò, pergebat, nullum eſſe baptiſma qvod non eſſet idem cum Eccleſiæ veræ baptiſmò. Ex qvibus concludebat, hæreticos ad Eccleſiam venientes, genuinos Eccleſiæ baptiſmate tingendos eſſe.

§. 22. Atqve ita priori unitate baptiſmi ex poſteriori defensâ, Cyprianus gladium invertebat adverſus contrarium ſentientes, objiciens, eos, prioris unitatis ultra modum tenaces, baptiſmiqve *iterationem* evitaturos, *duplicitatem* ejus admittere, alterum in Eccleſiâ verâ, in adulterâq; alterum: adeoq; nimium in poſteriorem eos unitatem peccare, qvæ ab Eccleſiæ unitate proficiſceretur. Jam verò in confeſſo omnium eſſe, hereticos non unum cum Eccleſiâ vera gregem conſtituere. E. nec unum cum eâ baptiſmum poſſidere, ſed alium prorſus. En! qvomodo ipſe concludat *in Epiſt. 71. ad Qvintum? Qvæ Eccleſia*, inqviens, *ſi una eſt, eſſe baptiſma extra Eccleſiam non poteſt. Nam cum duo baptiſmata eſſe non poſſint, ſi hæretici verè baptizant, ipſi habent baptiſma:* Et paulo poſt: *Porro autem qvidam de Collegis noſtris malunt hæreticis honorem dare, qvàm nobis conſentire; & dum unius baptiſmi aſſeveratione baptizare nolunt: ſic aut duo baptiſmata ipſi faciunt, dum & apud hæreticos baptiſma eſſe dicunt.*

§. 23. Hæc itaqve de unitate baptiſmi præmiſiſſe ſufficiat. Ex qvibus eluceſcit, Cyprianum, licet baptizaverit abs hæreticis baptizatos; noluiſſe tamen unitatem baptiſmi ſublatam, ſed corroboratam potius. Ideò verò ipſum contrariam Stephani ſententiam fugiſſe, ne duplicitatem admitteret. Qvare ita unitate baptiſmi expoſitâ tutior ipſi ſententia de rejectione baptiſmi hæreticorum videatur. De cujus tamen ſententiæ argumentis in Sectione II. plura referemus.

§. 24. Sed jam pauliſper animum ex Africâ in Orientem abducemus, autores noſtræ controverſiæ ibidem qvoqve cognituri. Et qvidem de his modo laudatus Dionyſius Alexandrinus apud *Euſeb. L. VII. H. E. c. 7.* teſtatur: Μεμάθηκα καὶ τοῦτο, ὅτι μὴ νῦν οἱ ἐν Ἀφρικῇ μόνον, τοῦτο παρεισήγαγον, ἀλλὰ καὶ πρὸ πολλοῦ κατὰ τοὺς πρὸ ἡμῶν Ἐπισκόπους ἐν ταῖς πολυανθρωποτάταις ἐκκλησίαις, καὶ ταῖς συνόδοις τῶν Ἀδελφῶν ἐν Ἰκονίῳ καὶ Συνάδοις, καὶ παρὰ πολλοῖς τοῦτο ἔδοξεν, qvæ verba ſic à Valeſio vertuntur: *hoc tamen didici, qvando Epiſcopi in Africâ non ſolùm iſtam conſvetudinem introduxerunt jam iterum de hæreticis rebaptizandis; verùm etiam longo tempore ante Epiſcoporum memoriam, qvi antegreſſi ſunt in Eccleſiis, maximâ hominum freqventiâ celebratis, & ſynodis fratrum Iconii,*

tum

aum Synadis; *tum aliis multis in locis convocatis iſtud decretum fuit.* Maximè autem in his conſpicuum reperimus *Firmilianum Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopum*, qvem Euſebius inter περιφανεστάτους τῶν Ἐπισκόπων, *L. VII.* numeravit. Hujus enim de hoc dogmate mens apertiſſimè conſpici poterit in Epiſtola ſua, qvam ad Cyprianum ſcripſit, qvæqve *ſeptuageſima qvinta* in Epiſtolis Cyprianicis legitur. Ubi ſententiam Cypriani in omnibus approbat, amiciſſimeqve cum ipſo conſpirat. Sic enim ſcribit ibidem ad Cyprianum: *Nos verò ea, qvæ à vobis ſcripta ſunt, qvaſi noſtra propria ſuſcipimus.* Nec tantum approbavit, ſed longè vehementiori ſpiritu, qvàm ipſemet Cyprianus contra Stephanum, in contrarium abeuntem tutatus eſt. De qvo nobis infra in *Sect. III. Cap. III. pluribus tractandum.*

§. 25. Hoc tamen de Firmiliano & Epiſcopis ejus notari inſuper meretur, qvòd non paucos annos ante Cyprianum & Stephani qvoqve ſedem in hanc devenerit ſententiam: ut non tantùm ex modo citato §. 17. Dionyſii Alexandrini teſtimonio, (ubi dicitur concilia *Iconienſe* & *Syndenſe* longo tempore ante celebrata de hâc ſententiâ fuiſſe) verum etiam ex ipſius verbis conſtare poterit. Qvid enim clarius his verbis inveniri poteſt, qvæ in *ſuâ epiſtolâ* ponit, ſic fluentia? *Qvod totum* (nimirum dogma de irrito hæreticorum baptiſmo) *nos jampridem in Iconio, qui Phrygiæ locus eſt, collecti in unum, conventibus Epiſcopis ex Galatia, & Cilicia, & ceteris proximis regionibus confirmavimus, tenendum contra hæreticos firmiter, & vindicandum, cum à quibusdam hac de re dubitaretur.* Qvæ verba, utpote apertiſſima non poſſunt non perſvadere nobis, Firmilianum cum Epiſcopis ſuis priorem Cypriano dogma hoc ſtatuiſſe. Qvod tamen percipere non potuerunt, vel noluerunt Baron. *ad Ann. C. 258. num. 14. 15. & 16.* Natal. Alex. *Sect. III. Part. I. cap. 3. Art. 5. §. 2.* Eman. Schelſtratenus *Antiqvit. Illuſtrat. Part. II. §. 54.* Hos verò ſecuti forſitan, decepti fuerunt Ruel. *Tom. I. Concil. Illuſtr. Peric. III. Syllog. 28. p. 772. & 773.* & Spanheim. *in Introduct. Hiſt. Nov. Teſt. Tom. I. Sect. III. c. 8. num. 4.* Noſtram verò ſententiam accuratè firmavit ſæpius laudatus Johann. Ceſtr. *in Annal. Cypr. ad Ann. Chr. 256. §. 6.* Sed de his infra pluribus, qvando nobis de Conciliis res erit.

§. 26. Agmen in Oriente claudit *Dionyſius Alexandrinus*. Nam & eum autorum modò citatorum ſententiis addictum fuiſſe, ex

epiſto-

epiſtolis, qvas diligentiſſimus ejus lector *Euſebius* collegit, facile liqvet. Sunt autem *ep.1.2.3. L.VII. H.E.* Mentem autem imprimis ſuam his verbis explicat, qvando ita de Africanis & Aſiaticis Epiſcopis ſcribit: ὧν τὰς βουλὰς ἀνατρέπειν εἰς ἔριν καὶ φιλονεικίαν αὐτοὺς ἐμβαλεῖν οὐχ ὑπομένω· οὐ γὰρ μετακινήσεις, φησὶν, ὅρια τοῦ πλησίον σου ἃ ἔθεντο οἱ πατέρες σου. *Qvorum judicia & ſententias condemnare, illosqve in contentionem ac rixam conjicere non audeo. Terminos enim, dicunt, proximi tui non commutabis, qvos patres tui conſtituerunt.* Ex qvibus verbis Dionyſii animum, in Cypriani atqve Firmiliani, qvàm Stephani ſententiam, magis inclinantem, colligi poſſe, ipſe Natal. Alex. *Sect. III. P. I. Differt. XII. p. 463.* fatetur.

§. 27. Tantum itaq; de autoribus, iteratione baptiſmi propugnantibus, baptiſmi valorem omnibus hæreticis atq; ſchiſmaticis denegando. His autem ſe oppoſuit Stephanus Romanus Epiſcopus vigeſimus ſextus à Petro Apoſtolo, qvod Hieron. *in dialog. contra Luciferian.* teſtatur: *Conatus eſt*, inqviens, *Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqvâ alienâ, & idcirco hæreticorum baptiſma reprobans ad Stephanum urbis Epiſcopum, qvi à Petro viceſimus ſextus fuit, ſuper hâc re Africanam Synodum direxit.* Etenim cùm *iteratione* baptiſmi *unitatem* ejus violare nollet; placuit illi *duplicitatem* (ex mente qvidem Cypriani) iſtius amplecti, ſtatuendo, in Eccleſiâ Catholicâ non magis, qvàm in hæreticorum cœtu baptiſma ratum eſſe habendum, adeoqꝫ ipſos ad Eccleſiam venientes non ſine iteratione baptiſmi baptizari poſſe. Oppoſiturus autem Cypriani & reliqvorum Epiſcoporum univerſali propoſitioni, *oppoſitam univerſalem* amplexus eſt, omnium hæreticorum baptiſmum approbando, non vero *particularem* illos excludendo hæreticos; qvi formulam in nomine Trinitatis baptizandi in baptiſmo non retinuerant. Qvicqvid in contrarium afferant Eman. Schelſtr. acerrimus infallibilitatis Pontificiæ defenſor *l. c. Art: 2. §. 58. & 54.* & Natal: Alex. *l. c. Diff: 14. p. 506. ſeqq.*

§. 28. Principaliſſima eorum argumenta petuntur (1.) ab *infallibilitate tum traditionum, tum Pontificis Romani;* qvia hâc ratione Pontifex ad falſam traditionem provocâſſet & ipſe Pontifex fallibilis evaſiſſet. (2.) *Ab ipſis Duumvirorum*, Cypriani atqꝫ Firmiliani *teſtimoniis*, qvos ipſosmet aſſerere, dicunt, Stephanum baptiſma in nomine

mine Trinitatis ab Antitrinitariis administratum hæreticis, tantùm approbasse, reliqvorum vero, qvi hanc formulam mutarent, planè rejecisse. Sic enim Cyprianus *Ep. 74. ad Pompejum* scribit: *Cur in tantum fratris nostri Stephani obstinatio dura prorupit, ut etiam de Marcionis baptismo item Valentniani & Apelletis, & ceterorum blasphemantium in DEUM Patrem contendat filios DEI nasci & illic in nomine Jesu Christi dicat remissionem peccatorum dari. &c:* Nec minus Firmilianus *Ep. 75. ad Cypr: Illud qvoq; absurdum, qvod non putant, qværendum esse, qvis sit, qui baptizaverit, eò qvod, qvi baptizatus sit, gratiam conseqvi potuerit, invocata Trinitate nominum Patris, & Filii & Spiritus Sancti.*

§. 29. Veruntamen hisce opponimus ipsa Stephani verba, qvæ ad Cyprianum scripta, ab eoqve *in Epist. 74. ad Pompejum* citata, ita se habent: *Si qvis ergo à qvacunqve hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi qvod traditum est, ut manus imponatur in pœnitentiam.* Qvibus verbis, qvis limitationem aliqvam affingere audeat? Sicut enim illa Cypriani propositio pro universali habetur ab ipsis Papicolis, qvam ibidem ponit: *Observatur*, inqviens, *à nobis & tenetur, frater charissime, explorata & perspecta veritate, ut omnes, ex qvacunque hæresi ad Ecclesiam convertuntur, Ecclesiæ unico legitimo baptismo baptizentur, exceptis his, qvi baptizati in Ecclesia prius fuerant, & sic ad hæreticos transierunt.* Qvam propositionem Schelstratenus & omnes Pontificii pro universali agnoscunt. Cur non & illam Stephani eodem habebunt loco? Conf. Joh. Cestr. *l. c. ad A. C. 256. n. 3.* it. Voss. *in Addendis ad Diss. XIX. de Baptismo p. 249.* Ut Eusebii & Augustini testimonia omittamus. Consule insuper Joh. Launoji. *Confirmationem Dissert. de vera plenarii apud Augustinum Concilii notione p. 105. & 106.* it. Tractatum ejus gallicum inscriptum: *Examen sur la Preface & de la Reponse de Monf. David aux Remarqves sur la Dissertation de Concile Plenier. p. 240. usqve ad 245. it. 250. usque ad 276.*

§. 30. Qvod autem rationes eorum concernit, qvarum 1.) desumpta erat ab *infallibilitate tum traditionum tum Sedis Romanæ*, respondemus illam forsitan hominibus de grege eorum persvaderi posse, & præter hos nemini. Neutram enim tunc temporis in Ecclesia invaluisse, vel ex solâ nostra historia luculentissimè constat. De qvibus infra pluribus *Sect. II. cap. I. & III.* Qvare ex præ-

suppo-

suppositis disputant, qvæ à nobis non agnoscuntur. 2.) Ratio *ex Duumviris nostris* malè colligitur. Nam si istos saltem hæreticos Antitrinitarios, qvi nomina Trinitatis in baptismo retinuerunt, intellectos voluissent: sanè, ut de Marcionitis & reliqvis ibi citatis nihil hic certi statuamus, Valentinianos iis annumerare non potuissent, utpote qvos constat, formulam baptismi plane immutâsse. Irenæus enim *lib. I. c. 18.* & ex hoc Epiphan. *lib. I. Tom. III. hæres. XXXIV. n. 20.* eorum baptisma sic describunt: *Qvidam ex iis sponsale cubiculum adaptantes, & qvasi mysticum conficiunt, cum qvibusdam profanis dictionibus, iis, qvi sacrantur & dicunt, spirituales nuptias esse: id qvod ab ipsis fit secundum similitudinem supernarum conjugationum. Alii autem adducunt ad aqvam, & baptizantes ita dicunt: in nomine ignoti Patris omnium, & in nomine descendentis in Jesu adunitionem & redemtionem & communionem virtutum. Alii autem habraica nomina superfantur, ut stupore sivel perterreant eos, qvi sacrantur: sic Basyma, Cacabasa, Canaa, Irnaurista, Diarbada, Carombo, Fobor, Camelanthi.* Hos profectò hæreticos qvis dicat formulam Trinitatis in baptismo retinuisse. Adeoqve si vel unicum istiusmodi hæreticorum exemplum adduci potest, omnis exceptionum nubes penitus evanescit, nihilqve certius asseri potest, qvàm Stephanum omnium hæreticorum, qvicunque etiam fuerint, approbasse. Ut taceam Doctissimum Launojum, qvi l. c. & aliis insuper locis ostendit, eo tempore paucissimos hæreticos in nomine Trinitatis baptizasse.

§. 31. Huc usqve de autoribus eorumque sententiis actum à nobis: superest & altera hujus capitis pars, qvam OCCASIO hujus controversiæ sibi vindicat. De *Agrippino* atque *Tertulliano* nulla qvidem certa monumenta constant, qvæ nobis apertam hisce Duumviris suppeditatam, occasionem ostendant. Si tamen conjecturare permissum sit: Crederemus prope, Marcionitas & alios hæreticos rebaptizantes in causâ fuisse, licet *non æmulationis, profundioris tamen inqvisitionis*, ut eò tandem devenerint, hæreticos esse rebaptizandos. Conjectura nostra non leviter Tertulliani loco *supra §. 3.* allegatos confirmata videtur. Postquam enim ibi monuisset, ne exemplis hæreticorum, à Catholicis verè baptizatos rebaptizantium, forsitan ad æmulationem moveren-

verentur, & scandalum acciperent: tandem in eorummet baptismum inquirit, docens, eum, utpote extra Ecclesiæ pomæria admininistratum, pro irrito nulloque planè censendum esse.

§. 32. Certior, sed & magis controversa est occasio, qvæ Cypriano ejusqꝫ asseclis, dogmatis hujus renovatoribus, suppeditata fuit. Putant enim Baron: *ad A. C.* 258. *n.* 11. *usqve ad* 14. it. Eman. Schelstr. *l. c. n.* 55. nec non Voss. *de Bapt. Disp.* 19. *Th.* 4. Cyprianum, ut causam ejus eò magis deprimant, ab ipsis Novatianensibus rebaptizantibus ad æmulationem provocatum fuisse, eamqꝫ adeò primam dedisse occasionem rebaptizationi: veritum scilicet esse Cyprianum, ne vilioris videretur æstimationis Ecclesia Catholica, si id sibi facere minus liceret, & qvod factum esset ab illis, ne, ut rectè factum, acciperent Catholici. Qvin hæreticis insultandi in Catholicos ansam liberam esse datam, illosqꝫ etiam Catholicorum testimonio comprobatos videri, verè nimirum eos esse, qvi dicerentur mundi atqve Catholici, dum collatum ab illis sanctum baptisma ratum atqve validum haberent. Hasce rationes pro æmulatione Cypriani adducit *Baron. & alii l. l. c. c.*

§. 33. Verum qvis de tam candido pectore tam malè suspicari auderet, aut existimare, tam sanctum Antistitem tali stimulo ad sententiam suam ferendam incitatum fuisse, hic non injustè cum Joh. Cestr. *l. c. ad A. C.* 255. *n.* 3. judicamus? præsertim cum ipsemet Cyprianus hanc suspicionem à se omnibus aversam modis voluerit. En! qvomodo se apud Jubajanum hoc crimine purgaverit *in Ep.* 73. *Nec nos movet*, inqviens, *frater charissime, quod in literis tuis complexus es, Novatianenses rebaptizare eos, qvos à nobis solicitant, qvando ad nos omnino non pertineat, qvid hostes Ecclesiæ faciant, dummodo teneamus ipsi potestatis nostræ honorem, & rationis ac veritatis firmitatem.* Et postea ipsosmet Novatianenses hujus æmulationis accusat, qvando pergit: *Nam Novatianus simiarum more, qvæ cum homines non sint, homines tamen imitantur, vult Ecclesiæ Catholicæ autoritatem sibi & veritatem vindicare, qvando ipse in Ecclesia non sit, imò adhuc insuper contra Ecclesiam rebellis & hostis extiterit. Sciens enim, unum esse baptisma, hoc unum sibi vindicat, ut apud se esse Ecclesiam dicat, & nos hæreticos faciat &c.* Et tandem concludit: *Vanum prorsus & stultum est, ut qvia extra Ecclesiam Novatianus vindicat*

dicat sibi veritatis imaginem, relinqvamus Ecclesiæ veritatem. [illegible] fecto verba nisi apertissimi sanctum Patrem menda[illegible] velimus, nullam aliam, nedum contrariam, mentem p[illegible]. Si tamen liberales esse debemus, concedimus omnino, N[illegible]num Cypriano occasionem *dubitandi* & *accuratius inqvirer[illegible]* [illegible] *æmulandi* dedisse.

§. 34. Veram autem in seqventibus occasionem innuit, nimirum *autoritatem Agrippini*, conciliiqve ab eo convocati, pergendo: *Apud nos verò non nova aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos, qvi ab hæreticis ad Ecclesiam veniunt, qvando multi jam anni sint, & longa ætas, ex qvo sub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum Episcopi plurimi hoc statuerint.* Et fortassis etiam non minimam dedit occasionem *admonitio*, qvam in præceptorem suum *Tertullianum* conjecerat. De qvâ vid. §. *6.* hujus capitis. Principalem verò occasionem fuisse Cypriano *unitatem Ecclesiæ*, qvam tantopere defendit, certissimum est. Hinc & eam utramqve ferme paginam dogmatis hujus confirmandi facere videmus. Qvin & triennium ante hanc motam controversiam, uti Joh. Cestriensis l. c. computat, libellum DE UNITATE ECCLESIÆ ad fratres perscripsit; in qvo hæc verba expressa ponit. *Qvando aliud præter unum esse baptisma non possit, baptizare se posse opinantur.* (Hæretici.) *Vitæ fonte deserto, vitalis & salutaris aqvæ gratiam pollicentur, non abluuntur illis homines, sed sordidantur potius, nec purgantur delicta, sed imò cumulantur, &c.* Esse verò hunc libellum prope triennium ante hanc controversiam, adeoqve & schisma a Novatianis exortum, conscriptum, omnes commentatores exinde colligunt, qvia jam in *epist. 54.* citatus à Cypriano invenitur. Ex qvibus omnibus qvid clarius patescere possit, qvam Cyprianum nil minus, atqve æmulationem tetigisse, sed potius antecessorum autoritatem & sacri codicis veritatem illi occasionem ad dogma suum suggessisse. Qvod ipse qvoqve Augustinus *L. III, contra Donatistas cap. 10.* agnoscit: *Rectè autem*, inqviens, *non movit Cyprianum, qvod scripsit Jubajanus, Novatianenses rebaptizare eos, qvi ad se ex Catholicâ Ecclesiâ venirent.*

§. 35. A Firmiliano & Coepiscopis ejus, qvoqve pariter omnis abfuit æmulatio, qvæ ipsos ad dogma hoc statuendum impellere potuit. Qvicqvid contradicere audeat Baron, *l. c. n. 11, & 12.* qvod

Montanistæ rebaptizantes eos ad æmulationem excitaverint. Fa-
[illegible]am omnino, Concilium Iconiense Montanistarum reba-
[illegible]iam causa celebratum fuisse, verum neutiqvam *æmulationis*
stimulo sed pio quodam veritatis divinæ desiderio. Cum enim jam
a[illegible] [illegible]eretic[illegible]rum Antitrinitariorum baptismus ab ipsis rejectus
esse[illegible] [illegible]ont[illegible] stæ verò primum schismatici (in sensu Duumvirorũ
nostrorum) viderentur, qvippe initio solas prophetias novas recipi-
entes, Spiritumq; S. per solum Montanum atq; Priscillam loqventẽ
asserentes: eorum ob hæresin concilium hoc convocatũ fuit, decre-
tumq; eos etiam non minus, præmissa veri baptismi collatione, reci-
piendos esse. Hoc clarè Firmilianus Ep. 75. ad Cyprian. ostendit:
planè qvoniam, inquiens, *de eorum* (Cataphrygum seu Montani-
starum) *baptismate dubitabant, qvi etsi novas prophetias recipiunt, eos-
dem tamen, Patrem & Filium nosse nobiscum videntur: plurimi simul
convenientes in Icoonio diligentissimè tractavimus, & confirmavimus, repu-
diandum esse omne omnino baptisma, qvod sit extra Ecclesiam constitutum.*
Absit igitur, ut hisce tam candidis pectoribus æmulationem affin-
gamus indignissimam. *Dionysio* imprimis dedit hujus dogmatis
asserendi occasionem Duumvirorum & reliqvorum Coëpiscorum
autoritatas. Qvod ex verbis supra jam §. 16. citatis patet, ubi hæc
scripsit: *Qvorum* (nimirum Africanorum, & Orientalium) *ju-
dicia & sententias condemnare, illosq; in contentionem ac rixam
conjicere non audeo: Terminos enim, dicunt, proximi
tui non commutabis, qvos patres tui consti-
tuerunt.*

SOLI DEO GLORIA.

CO-